

PETERMANNVS A CLERY HELVETIVS.



Petermannus natus est ex nobili familia Clery-
norum apud Heluetios Friburgi Nuithonum
anno circiter 1520. Is cum optima indole esset pre-
dictus, à pueris operam literis dedit, atq; prima rudi-
mēta in patria egregiè percepit. Postea studiorum
amore Lutetiam Parisiorum profectus, artibus &
linguis, in primis uerò Poëticæ, incubuit, atq; me-
diocrem sibi eruditionem comparauit, ut etiam ex
tempore uersus scriberet, & optimos quoq; auto-
res magno cum fructu legeret. Cum hoc modo ali-
quandiu perrexisset, animum quoq; ad armorum
studia conuertit, & Heluetiorum castra sequendo
apud Galliæ regem honesta stipendia meruit. Ve-
rum cum is multis animi & corporis uirtutibus esset insignis, paulatim uarijs
expeditionibus per militares ordines ascēdit, atq; tandem in capitaneos Hel-
uetiorum receptus fuit.